



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Ærumnæ D. N. Jesu Christi

Thomé <de Jesus>

Monachii, 1676

Secunda doctrina.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-45834](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-45834)

imitator ejus, quod in cruce me doces, & osor superbiæ, quam detestaris.

II. DOCTRINA.

*Obedientia
humilitatis
filia.*

III. Hæc humilitas Christum fecit tam obedientem suo Patri æterno, ut ex obedientia, & ejus amore mortem tam ignominiosam subiret in cruce. Docuit hoc modo, quanti velit affirmari obedientiam, & legem suam, quam vult etiam cum impensa honoris, sanguinis & vitæ servari; & omnia ei contraria reprobari, ut pestem & venenum animæ. Ostendit etiam, se non recepturum eos, qui afferunt excusationem, vel prætextum contra suam legem; & qui alio modo volunt eam servare, quàm præscriptum sit: omnes enim hos falli ac decipi. O nos infelices! quantum invenit expiandum & sanandum in animabus nostris pretiosus hic sanguis! quàm levi de causa præterimus leges Domini! quantò pluris facimus spurcas nostras delicias, quàm illam! plus valet apud nos lex mundi, quam probant homines, & quid illi dicturi sint de nobis, quàm obedientia suæ sanctissimæ legis. Quantum decipitur mundus, quem sequimur!

O misericors Domine, trahe ad te totum cor meum, nec sine me pergere, ut hactenus. Redeo ad obedientiam tuam: præsens meum votum est, vivere semper subditum voluntati tuæ, & pati potiùs mille mortes, quàm te offendere. Recipe, Domine, hanc animam, neque permitte me ampliùs recedere ab hac voluntate, quam mihi largiris. Amore tui, Domine, renuntio legibus mundi in perpetuum, & omnibus, quæ contra tuam voluntatem admisi, de quibus ex toto corde doleo. Dimitte mihi illa, Domine, virtute plagarum istarum, & perfectè subjice me tuæ obedientiæ. O mi Redemptor, fac vim omnibus animabus cum amore, quem exhibes, & omnes obedientiæ tuæ subige. O si omnes, quotquot sumus in mundo, essemus in ovili & mandrâ tuâ, ut audiremus omnes vocem tuam, & sequeremur te divinum nostrum pastorem! ô amor, qui potes omnia, accendere, dilatare, inflamma omnes animas: destrue inobedientiam legis tuæ: subige ista corda; & fac mancipia tuæ bonitatis & pulchritudinis.

III. DO.